

cum breviculis Argumentis etiam reliquis Epistolis praefixus, quae decumanum hunc *Codicem* terminant.

III.

R. 1045. Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. 271. f. max. per duas columnas magnifice exaratus, literis initiorum partim deauratis, rubro, caeruleoque variatis, cujus possessor fuit a. 1699. *Lemaire de Elcourt auocat du Roy*, ut videtur, *Divione*, est *Pars I.* splendori Operis Biblici *Pentateuchum*, *Josue*, *Judices*, *Ruth*, *IV. Libros Regum*, *Isaiam*, et *Jeremiam* complexa, quibus accedit Particula *Prologi Hieronymiani in Ezechielem*, et *Danielis Prophetia* a v. ult. Cap. IX. usque ad finem. Rubrica princeps est: *In nomine sancte et indiuidue trinitatis Incipit praefatio Sancti ieronimi Presbiteri ad desiderium amicum suum. In pentateuico hoc est in quinque libris Moysi scilicet. Gese. exodo. leuitico. numero. deuteronomio. qui apud hebreos uocantur bresit. belesmoth. uagebra. uagedabir. addabarim.* Sequitur Elenchus *Capitulorum LXXVII. Geneleos.* Similes Elenchi reliquis etiam Libris praemissi sunt ita, ut *Exodus CLX. Leviticus XCI. Numeri LXXIII. Deuteronomium CLVII.* ejusmodi *Capitula* censent. Interim *Capitum* numerus hodie receptus rite notatur in margine, et in Textu magna litera pi-

eta distinguitur. *Josue* quoque Elenchum *Capitulorum XXXIII. Judices* tantum XVIII. *Primus* et *Secundus Regum* conjunctim XCV. praeferunt. Eadem ratio fuerit *Tertio* et *Quarto*, verum, quod dolendum, exciderunt Membranae a L. II. c. 18. v. 18. ad L. III. c. 2. v. 6. *Prophetae* supra dicti nulla *Capitula* praemittunt, sed *Capitibus* nostris in margine censentur. *Threni* nullo proprio Titulo gaudent; *Baruch* deest. Quae *Codicem* terminant, jam sub principium notavi.

IV.

Pars II. constat *Foll. 207.* Expletur Particula *Prologi Hieronymiani in Ezechielem* superius inchoata. Dein hoc ordine proceditur: *Ezechiel*, *Daniel* et quidem integer, ut adeo nesciam, quid sibi velit Fragmentum P. I. indicatum, XII. *Prophetae minores* ordine consueto, *Libri Salomonis* adjuncta sub finem ejus *Oratione* excerpta e III. *Reg. c. 8.* et II. *Paralip. c. 6.* *Job*, *Tobias*, qui excidit a c. 8. v. 12. et abstulit secum initium L. I. *Paralipomenon* usque ad c. 6. v. 41. Posthaec: *Incipit liber besdre primus.* Ast Apocryphus est ille, quem *Tertium* compellamus, hoc initio: *Et egit Josias pascha in ierusalem &c.* qui praeterea dictione multum abit ab *Editis*, cujus vel Versus ult. exemplum esse possit: